



# Disputatio medica inauguralis de ascite

<https://hdl.handle.net/1874/342439>

12.

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**A S C I T E,**

*quam*,  
AUSPICE DEO OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**JOANNIS GEORGII GRAEVII**

Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii.

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī Consensu, Nobilissimaeque  
Facultatis MEDICÆ Decreto*

PROGRADU DOCTORATUS  
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
ritè & legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjicit  
JOANNES BAPTISTA HEIRINX, Antverpiensis.*

*A.D. 23. Junii, horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

---

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Icc xc.

Clarissimis ac Eruditione fulgentibus VIRIS,

D. JACOBO VALLAN M. D. In illustri Trajectinorum Athenæo Medicinæ cum Practicæ, tum Fundamentalis principiis solidissimis superstructæ Professori Celeberrimo, ob eximia præstita beneficia nimium quantum colendo,

D. JOANNI MUNNICKS, M. D. Celeberrimæ Acad. Traject. Anatomæ ac Botanices Professori Ordinario, Practico felicissimo, urbis hujus Poliatro. Promotori Chassisimo, propter immortalia, quibus ego devinctus, officia singulariter venerando,

NEC NON

Rœverendis, Orthodoxis, & Theronreugois VIRIS.

D. JOANNI T E X E L I O,

D. JOANNI DOESBURGH,

D. LUDOLPHO DE WITTE,  
Verbi Divini in Ecclesia Roterodamensi Præconibus vigilanssimis, fidelissimis facundissimis, veræ Religionis propagatoribus strenuis, Studiorum meorum fautoribus summe honorandis,

In grati animi Teruncio  
Hanc de Ascite didisse.

D. D. D.

JOANNES BAPTISTA HEIRINX,

AUTOR.

D I S P U T A T I O M E D I C A  
I N A U G U R A L I S,  
D E  
A S C I T E.

T H E S I S I.



Otissima Hydropsis humidæ differentia sumitur à diverso Collectionis loco: qui si sit corporis habitus, Anasarca aut Leucophlegmatia nominatur; si abdominis cavitas, Ascites dicitur; si caput, Hydrocephalus vocatur; si scrotum, Hydrocele nuncupatur; pectoris Hydrops proprio nomine caret. Inter has differentias unicum Ascitem placuit in controversiam deducere, affectum, qui si inveteravit, non sine magna mole discutitur. Etymologia nominis est ab ἄστρος, quod vocabulum non utrem tantum, sed & corpus hominis vel mortui vel vivi significat; præsertim ipsum abdomen seu ventrem; & hinc appellationis ratio. Recte proinde definitur tumor abdominis à chylo, potu, aut lymphâ sero siore in illius capacitatem collecta oriundus.

I. I.

Pars affecta est abdomen, quod tamen ut plurimum non solum intumescit, sed etiam scrotum, tibiæ & pedes tumore præternaturali afficiuntur ob liquorem, quem non puto ex arteriis aut venis effundi, quia in illis sanguis continetur, non solum serum, sed ex vasis lymphaticis aut lacteis. Nam per vasa lymphatica delata lymphâ nunc tenuior & serofior, nunc crassior & pituitosior, si vasis istis disruptis effluat, Ascitem constituit. Sed per venas lacteas, si rumpantur, tum chylus, tum præcipue potus largo haustu assumptus in abdomen effunditur, & Hydropem quandoque intra triduum contingentem producit.

A 2

III. Fr.

## 4 D I S P U T A T I O M E D I C A

## I I I.

Frequentissima hujus affectus causa est obstructio, quam consequitur Lymphæ, vel Chyli & potus in vasis suis stagnatio, vasorum distensio, disruptio, contentorumque effusio. Nam si accuratius ascitem ex venis lacteis ruptis oriundum contempleremus, reperiemus primum venas hasce tum à chylo viscidiore in ipsis coagulato, tum vero à pituita intestinali in ipsas propulsa, atque coagulata obstrui: dein fistitur mox in iisdem, quidquid ex intestinis sive humoris triumviralis, sive chyli vel potus tantum copiose hausti in ipsas propellitur: quin idem easdem paulatim magis atque magis adeo distendit, ut tandem rumpantur, quam rupturam comitatur Humiditatis ipsis contentæ aut prius inter Mesenterii membranas, aut mox in abdominis cavitatem effusio.

## I V.

Frequentior tamen est ea species Ascitis, quæ ex vasorum Lymphaticorum ruptione oritur. Dico, frequentior: quamvis enim interdum sine Lymphæ vitio consequatur nihilominus ex multo potu in febribus ardentibus ingurgitato Hydrops, id tamen rarius contingit, estquæ infrequentior Hydropis causa. Igitur posterioris speciei causa antecedens est Lympha vitiosa, & quidem imprimis ratione falsedinis aut visciditatis majoris, una cum ejusdem copia aucta. Causæ remotæ multiplices assignantur; frigus hyemale. *Aphor.* viii. 8. Hæmorrhoides diurnæ ita curatæ, ut ne una quidem servata fuerit, *Aphor.* vi. 12. longa lienosis superveniens dysenteria *Aphor.* vi. 43. leucophlegmatia *Aphor.* vii. 74. immoderata spiritus vini potatio, nimia sanguinis missio, febres male & non secundum artem curatæ, &c.

## V.

Assignata superius per transennam differentia ad signa diagnostica pergamus, quæ ex prædictis satis manifesta esse possunt: tumor æqualiter abdomen occupat, aliquando & tibias & scrotum, qui comprimentis digiti vestigia non servat, moto corpore, humor effusus ita movetur, ut impetus ejus conspici possit: in progressu morbi adeat respirandi difficultas ob impedimentum diaphragmatici motum: facies, brachia, reliquaque membra gracilescunt & contabescunt; sitis adeat inexhausta: & tussis sicca, nec talis, qualis

qualis conveniebat, reperitur inter potionem hydropici & urinam proportio: pulsus adest parvus, & si febris accedit, praeter naturam frequentior.

## V I.

Quod prognosin attinet: qui lienoli à dysenteria corripiuntur, his longa superveniente dysenteria Hydrops supervenit, aut intestinorum lœvitatis, & pereunt. *Aphor.* vi. 43. Quibus hepar aqua repletum ad omentum eruperit, his venter aqua impletur, & moriuntur. *Aph.* vii. 55. Periculum quoque est, si tempus ipsum hyemale una cum morbo impugnet. *Aph.* viii. 8. Hydropicis tussis superveniens malum. *Aph.* vi. 35. Hydropicis ulcera in corpore orta non facile sanantur. Si Ascites ex acuto morbo cœpit, ad sanitatem raro perducitur: spes quoque tollitur, si sanguis sursum deorsumve erupit. Inter initia tamen non difficilima curatio est, si imperata sunt corpori quies, sitis, inedia. At si malum inveteravit, spem minuit. Abscessus vel maculae in hydropicorum cruribus erumpentes ut plurimum lethales sunt. Non alienum erit metiri potionem hydropici & urinam: nam si plus humoris excernitur, quam assumitur, ita demum secundæ valetudinis spes est. Ab hydrope detento, si aqua secundum venas in alvum fluit, solutio fit. *Aph.* vi. 11. Si æger ἐναρλασχυτι sit, cibum libenter assumat, bene concoquat & respiret, alius medicamentis celeriter moveatur, & extra purgationes assumtas naturaliter excernat, spes secundæ valetudinis affulget; si his contraria eveniant, lethum imminent. Signum quoque desperati hydropis est, si urina sit crocea, adsitque febricula continua.

## V I I.

Curatio non est tentanda venæ incisione, sed primum medicamentis deobstruentibus, incidentibus, acrimoniam salinam temperantibus. 2. Purgantibus per epicrasin adhibitis, quibus & confortantia commode adjunguntur. 3. Diureticis cum corroborantibus. 4. Diaphoreticis. 5. Potione non ultra data quam quæ vitam sustineat. 6. Inter externa prosunt tum discutientia. 7. Tum sudorifera. 8. Quod si per talia auxilia venter non siccatur, sed humor nihilominus abundat, celeriori via succurrendum est, ut is paracentesi per ventrem ipsum emittatur.

## 6 DISPUTATIO MEDICA

## V I I L

Qua de causa cum primo & secundo indicato una eademque opera satisficeri, atque ita, ut in proverbio est, eadem fidelia duo parietes dealbari possint, haud infreuerter fit, ut deobstruentia atque incidentia cum hydragogis commisceantur. In hunc finem conducit hoc decoctum: Rx. rad. irid. nostr. recent. ʒv. cort. med. sambuci ʒij. rad. bryoniae ʒj. asari ʒvj. summit. absinth. ʒij. baccar. junip. ʒiſ. fol. senn. mund. ʒj. sem. carvi ʒij. coq. in aq. communii ad lib. iij. Dosis ʒij. Quod si ægroti pilulae magis placeant, tales exhiberi possint: Rx. euphorb. præparat. ʒiſ. spic. nardi. Mastiches an. ʒij. opopanax. sagapeni præparat. Bdellii an. ʒij. agarici trochisc. trochisc. alhand. an. ʒiſ. F. Massa. Dosis a ʒj. ad ʒij. Sin vero syrum mavelit, talis exhibeat: Rx: Rhei elect. ʒij. fol. senn. ʒv. mechoac. albiss. ʒij. aq. beton. cichor. bugloss. ʒij. Infund. omnia S. A. per noctem: mane ebullitione & expressione facta colentur, & cum sacch. albiss. ʒij. syrum. ros. solut. ʒj. M. F. S. A. syrups. Cujus aliquando bibat. ʒij. mane in exiguo haustu juris pulli, cui pauca folia rosmarini & macis tantillum incocta sint.

## I X.

Quod si purgantia cum incidentibus, sine fructu, ac successu fuerint adhibita, ab illis ulterius puto abstinentium, & ad diuretica aut diaphoretica mox recurrendum. Inter medicamenta primi generis, si febris absit, continuo allium comedatur, quo sit, ut multum aquositatis per urinam profundatur, atque ex insperato eo remedio nonnulli sani evadant. Possunt contundi allii capita recentia, succusque per pannum cum jure vervecis aut pulli-colatus bibatur. Inter diuretica simplicia præcipue commendantur Radices Apii, Afari, Asparagi, Eringii, Fæniculi, Petroselini, Pimpinellæ Rusci, Spicæ nardi, Valerianæ, Urticæ, &c. Folia Absinthii, Chamephytos, Chærefolii, Betonicæ, Eupatorii, Petroselini, Rutæ, Scordii, Urticæ, &c. Semina Anisi, Fæniculi, Chærefolii, Dauci, Milii Solis, Saxifragæ, &c. Baccæ Juniperi, &c. Vinum Rhenanum, Mosellanum, &c. Inter Chymica commendantur Spiritus Salis, Tar-

tarri

# INAUGURALIS. 7

tari Vitriolatum; Sal Volatile Urinæ, Olea Stillatitja Baccarum Juniperi, Succini, &c.

## X.

Composita vero infinita occurunt descripti, vel concinnari possunt ab Artis peritis. Talis est hic haustus: ℥. succ. Chærefol. express. ʒj. Vini Rhenani ʒij. Sacchar. parum M. F. Haustus. ℥. Conseru absinthii. Menthae an. ʒj. Cort. citri condit. ʒij. Spec. diacalaminth. ʒij. sal. Sambuci ʒj. Spir. nitri ʒj. Ol. Stillat. cinnamom. gutt. ij. Macis gutt. v. M. F. Conditum. Dosis ad magnitudinem nucis Moschatae.

## X I.

Quod si nec diuretica sufficient, ad sudorisera pervenientium est, quæ vix nisi gradibus à diureticis differunt: eadem quippe remedia tum sudores, tum urinas movent, pro quantitatis assumptæ ratione, vel humorum in corpore dispositione. Igitur præter ea quæ inter diuretica recensita sunt, diaphoresin promovent Radices Angelicæ, Bardanæ, Chinæ, Imperatoriæ, Salsæ parillæ, Tormentillæ, Zedoariæ, &c. Fol. Capillorum Venetis, Cardui Benedicti, &c. Lignum Guajacum, Sassafras, Buxi, Juniperi. Baccæ Sambuci, Lauri, Eboli. Semen Aquilegiæ, Cardui benedicti, &c. Chymica sunt Antimonium Diaphoreticum, Antimonii Sulphur auratum Diaphoreticum, Antimonii flores, Bezoardicum Minerale, Mercurius præcipitatus Diaphoreticus, &c.

## X I I.

Atque ex hisce varia forma parantur medicamenta Diaphoretica, qualis est hæc mistura cochleatim assumenda. ℥. aq. petroselini ʒij. Fæniculi. Theriacal. sim. an. ʒj. Spir. sal. Armoniac. gutt. xx. Syrup. Card. Bened. ʒj. Misceant. Item hic haustus: ℥. Discord. Fracast. ʒj. c. c. philos. præp. ʒj. Confect. Alchemes ʒj. Aq. Alexyphar. ʒij. Borrag. q. f. M. F. Haustus.

## X I I I.

Nec solum internis medicamentis sudor cietur, verum etiam externis, qualia sunt varii generis, 1. balnea, 2. fomenta, 3. tegulae calefactæ, Lintea & Arena Calens à sole, aut igne, & similia saccis inclusa, & corpori applicata. 4. Frictiones, ac inunctiones,

## 8 DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS.

nes, &c. tegumenta, & si quæ plura id possunt præstare : quæ omnia forinsecus usurpantur. Est vero magni momenti remedium, absque alicujus interni medicamenti exhibitione posse sudorem mouere ; id quod in lautioris fortunæ hominibus saepè numero usu venit. Proxime his accedunt medicamenta externa per adnavor discutientia, quæ emplastrorum, cataplasmatum, unguentorum, &c. modo adhibentur. Unicum mihi emplastrum pro omnibus sufficiat. Rx. ceræ citrinæ 3ij. Bdell. pulv. 3iij. Colophon. Pic. naual. an. 3j. succin. citrin. 3vij. Gum. Ammoniac. 3ij. F. Emplastrum S. A. malaxando cum Ol. ovorum.

## X I V.

Quibus omnibus brevi non proficientibus paracentesis in abdomen instituenda est, non quidem illa antiquorum periculi plena, verum nova per acum cavam leniter tribus circiter transversis infra umbilicum digitis, totidemque ad ejusdem latera in abdomen immissam.

F I N I S.

